BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh. Seite 84v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Surge domine quia dissipentur inimici tui et fugiant qui oderunt te a facie tua. Cum autem deponeretur agebat. Revertere domine ad multitudinem exercitus israel.

XI

Interea ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra dominum. Quod cum audisset iratus est et accensus in eos ignis domini. Devoravit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad moysen oravit moyses dominum et absorptus est ignis. Vocavitque nomen loci illius incensio eo quod incensus fuisset contra eos ignis domini. Vulgus quippe promiscuum quod acciderat cum eis flagravit desiderio carnium sedens et flens iunctis sibi pariter filiis israel et ait. Quis dabit nobis ad vescendum carnes. Recordamur piscium quos comedebamus in egypto gratis. In mente nobis veniunt cucumeres et pepones et porri cepeque et allia. Anima nostra arida est nichil aliud respiciunt oculi nostri nisi man. Erat autem man quasi semen coriandri coloris. Circuibatque populus et colligens illud frangebat mola sive terebat in mortariolo coquens in olla et faciens ex eo cortulas saporis quasi panis oleati. Cumque descenderet nocte supra castra ros descendebat pariter et man. Audivit ergo et moyses flentem populum per familias singulas et singulos per hostia tentorii. Iratusque est furor domini valde sed et moysi intolleranda res visa est. Et ait ad dominum. Cur afflixisti servum tuum. Quare non inveni gratiam coram te et cur imposuisti pondus universi populi super me. Numquid ego concepi omnem multitudinem hanc vel genui eam ut dicas michi porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix infantulum et defer in terram pro qua iurasti patribus eorum. Unde mihi carnes ut dem tante multitudini flent contra me dicentes. Da nobis carnes ut comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum quia gravis michi. Sin aliter tibi videtur obsecro ut interficias me et inveniam gratiam in oculis tuis ne tantis efficiar malis. Et dixit dominus ad moysen. Congrega mihi septuaginta viros de senioribus israel quos tu nosti quod senes populi sint ac magistri et duces eos ad hostium tabernaculi federis. Faciesque ibi stare tecum ut descendam et loquar tibi et auferam de spiritu tuo tradamque eis ut sustentent tecum honus populi et non solus tu graveris. Populo quoque dices. Sanctificamini cras comedetis carnes. Ego enim vos audivi dicere. Quis dabit nobis escas carnium. Bene nobis erat in egypto ut det vobis dominus carnes et comedetis non uno die nec duobus vel quinque aut decem nec xx quidem sed usque ad mensem diem donec exeat per nares vestras et revertatur in nauseam eo quod repulleritis dominum qui in medio vestri est ut flevertis coram eo dicentes. Quare egressi sumus de egypto. Et ait moyses ad dominum. Sexcenti milia peditum populi huius sunt